Indice

✠

SINGULARI BONARUM ARTIUM,
AC LITTERARUM AMATORI,
PER ILLUSTRI VIRO EXCELLENTISIMOQUE

D. D. JOSEPHO MOÑINO

COMITI DE FLORIDABLANCA

INSIGNIS CAR. III. ORDINIS MAGNA CRUCE DECORATO,
INTIMIORIS HISPAN. CONSILII SENATORI, EJUSDEMQUE
CATHOLICI REGIS PRAECIPUO ADMINISTRO

HAS PHILOSOPHICAS THESES GRATO ANIMO

D. O. ET S.

HUMILLIMUS, AC OBSEQUENTISSIMUS SERVUS,
ac Cliens Fr. N.... cum tota hac Provincia Boethica
Ordinis S. P. N. August. pro suis Provincialibus
comitiis celebrandis coadunata.

PROPUGNANDIS ADERIT.

F. JOSEPHUS GOVEA

PHILOSOPHIÆ AUDITOR

SUB PRAESIDIO R. P. FR. EMM. MERCHAN IN HOC MAG.
S. P. N. Aug. Cœnobio Lect. Theolog. die 9. Mensis
Maij ann. 1786.

Cum approbat. D. Censoris Regii, & cum permissu. Hispali apud Josephum
Padrino, & Solis, in vico Genuensi.

THESES PHILOSOPHICÆ.

DE PHILOSOPHIÆ HISTORIA

I. PHILOSOPHIAM veteres divinarum, et humanarum rerum scientiam frequentissime definierunt.

II. Optime quidem, si eam scientiam intelligamus, qua non solum rerum cognitio, sed rationum etiam, cur res sint, vel fiant, et cur esse, fierive possint, contineatur.

III. Hanc universalem naturæ scientiam, primo hominum Parenti Adamo á Creatore infusam fuisse res certa videtur.

IV. Eam tamen scientiam á Deo ipso primo homini communicatam, Adamus ad filios, et posteros traduxit.

V. Post diluvium a Noemo eiusque posteris in universam terræ faciem diffusa est Philosophia.

VI. Ita tamen manca, ac fabulis successu temporis inquinata fuit, ut pro ea restauranda multorum hominum labor, ac plurium seculorum observatio fuerit necessaria.

VII. In id porro incubuerunt Chaldei, Persæ, Indi, Sinenses, Phænices, Africani, et Europæi.

VIII. Scientia, quæ ante Græcorum tempora apud gentes dispersa viguit, traditionaria dicta est, quoniam á majoribus tradita á posteris religiose custodiri consuevit: barbara item, ex quo superbi Græci reliquos omnes non Græcos populos, barbaros habere, et apellare cœperunt.

IX. A his tamen barbaris, prima doctrinarum semina Græci mutuati sunt.

X. Qui primi Græciæ doctrinas intulerunt, sapientes nominabantur ad ætatem usque Pithagoræ, qui cæteris modestior, Philosophus, sive sapientiæ studiosus maluit appellari quod reliqui nomen deinceps usurparunt.

XI. Græcanica Philosophia pro varia docentium indole in diversas sectas, seu scholas divisa fuit.

XII. Licet ad plures excreverint, præcipuæ tamen fuerunt, Jonica, Italica, et Eleatica, multarum propaginum feracissime parentes.

XIII. Talis fuit Philosophiæ origo, atque progressus, usque ad seculum VI, quo universam fere Europam invadentes Barbari omnia horrore, ruinis, et cladibus repleverunt.

XIV. Barbariem itaque fugientes literæ in Arabiam se recepisse videntur. Deinde ad Africanas oras paulatim advectæ, tandem in Hispaniam una cum Arabibus advenerunt.

XV. Seculo octavo in Scholis Cordubensi, Granatensi, Hispalensi, Toletana, aliisque literæ paululum recreatæ sunt.

XVI. Arabibus non solum Aristoteles placuit, sed obscurissima quæque, et rixantium circulis aptissima ex Aristotele tractanda delegerunt; atque perpetuis commentariis oneraverunt Avicena præsertim, et Averrhoas.

XVII. Post insignes adeo Commentatores unus Aristoteles ex Græco non bono, malus latinus, ex malo latino, pessimus Arabs factus, primo apud Mauros, deinde in Europa universa Philosophorum princeps salutabatur. Qui-

a

XVIII. Quicumque enim ex Italia, Germania, Gallia, aut aliunde literarum amore tenebantur, Bœthicas in Hispania scholas frequentabant, unde Philosophiam Arabico-Peripateticam in gentes suas comportarent, sæculo præcipue XII: quo ferme tempore incrementum sumpsit scholastica Philosophia, de Aristotelis nomine Aristotelica nuncupata.

XIX. Tandem Aristotelis excusso jugo, nugisque derelictis Philosophia, tribus superioribus seculis multiplici observatione, et experientia novo quodam lumine perfusa, á viris sapientissimis, licet non omnino, magna tamen ex parte, ab ignorantiæ tenebris fuit effossa.

XX. Universa Philosophia aptissime in quatuor distribuitur partes Logicam scilicet, Metaphisicam, Ethicam, et Phisicam.

DE LOGICA.

XXI. LOGICA definitur ars cogitandi. Ejus munus est tradere præcepta, quibus humana mens adjuta facilius ad veritatis cognitionem perveniat.

XXII. A hoc fine longissime aberrarunt Scholastici, qui Logicam infinitis quæstionibus, iisque inutilibus, quibus mentem potius obtruderent, quam juvarent, implicuerunt.

XXIII. Methodum sedatam, et præceptivam, qua in unaquaque parte Logicæ singulæ explicentur mentis operationes, et regulæ tradantur ad earum errores corrigendos, optimam esse, et utilissimam, doctissimorum hominum exemplo, et consilio edocti; defendimus.

XXIV. Mentis operationes, quæ non nisi varii modi sunt, quibus mens utitur in cognoscendo, plurimæ adsignantur á Philosophis: præcipue et veluti cæterarum capita sunt perceptio, judicium, et discursus, quæis methodum adjungunt communiter moderni.

DE INTELECTU PERCIPIENTE.

XXV. CUM mens aliquid percipit illius quamdam notionem sibi ipsi efformat, quam ideam apellamus.

XXVI. Idearum multa sunt genera. Earum omnium notiones, et divisiones, atque etiam obscuritatis, et confusionis idearum fontes, aperire non renuam.

XXVII. Ut confusionis, et obscuritatis causis occurramus, atque ideas claras, et distinctas, é quibus veritas pendet, adquiramus; has regulas servemus oportet:

XXVIII. I. Cavendum est ne uno intuitu ad plura simul animum applicemus; neve nimia præcipitantia ideis quibuscumque assentiamur.

XXIX. II. Sumite materiam vestris viribus æquam et versate diu quid ferre recusent, quid valeant humeri.

XXX. III. Ne adoptes populi opiniones, quin prius rationem, et communem sapientum hominum sensum consulueris.

XXXI IV. Ne ad eas scientias animum applicueris ad quas acquirendas necesaria media nondum comparasti.

XXXII. V. Præceptores elige in scientiis optimos, ac in docendo expertes.

VI.

XXXIII. VI. Non tam auctoritatem in disputando, quam rationum momenta sequere.

XXXIV. Voces, quibus aliis manifestamus ideas, quas taciti nobiscum ipsi revolvimus, signa sunt tunc cogitationum nostrarum, tunc ipsarum rerum.

XXXV. Quod antem certæ quædam voces, has, aut illas ideas significent id habent ex hominum arbitrio minime vero ex natura sua.

XXXVI. Plures in variis linguis sunt voces, quæ præter primariam, aliam ex usu habent significationem, qua fiunt honestæ aut obscenæ.

XXXVII. Ut recte, ac perspicue aliis cogitationes nostras ope vocum aperiamus; hos canones stabilimus.

XXXVIII. I. Voces inanes vitemus. II. Obscuræ aut confusæ ideæ verbis non adjungantur. III. A vocibus ambiguis accurate abstineamus, IV. Dedita opera obscuritatem non affectemus. V. Iisdem vocibus eædem semper notiones subjiciantur.

XXXIX Per voces etiam aliorum mentem in eorum scriptis assequi possumus subsidio artis hermeneuticæ. Hujus artis regulas interrogatus adsignabo.

DE INTELECTU JUDICANTE.

XL. JUDICIUM est perceptio relationis, quæ inter duas pluresve ideas intercedit.

XLI. Hæc mentis actio si verbis exprimitur; vocatur enuntiatio, sive propositio, quæ ratione quantitatis, et qualitatis bene multas accipit divisiones interroganti aperiendas.

XLII. Inter præcipuas enunciationis species, ad recte formanda judicia summopere necesarias definitio, et divisio locum obtinent.

XLIII. Definitio est oratio, quæ quid sit id de quo agitur, ostendit quam brevissime.

XLIV. Rectæ definitionis tres sunt regulæ. I. Ne angustior, aut amplior sit re diffinita, sed omni et soli diffinito conveniat. II. Brevis sit, modo non sit manca. III. Ut sit clarior re definita.

XLV. Hanc tertiam regulam Aristotelicos non observare in definitione motus, temporis, aliisque nemo inficias ibit.

XLVI. Divisio est totius in partes distributio. Ejus regulæ sunt. I. Ut nulla pars neque prætermittatur, neque redundet. II. Pars una aliam non complectatur. III. Ut gradatim, et per membra proxima procedat. IV. Non fiat in partes nimis minutas.

XLVII. Hic inter Philosophos vehementer controvertitur: num scientia, fides et opinio in eodem intellectu de eadem re simul esse possint? sententiam negantem tuemur.

DE INTELLECTU RATIOCINANTE.

XLVIII. RATIOCINATIO actio est qua intelectus ex uno aut pluribus judiciis aliud colligit.

Ra-

XLIX. Ratiocinatio verbis enunciata argumentatio audit.

L. Octo assignantur communiter argumentationis species, sed omnes ad syllogismum facile revocantur.

LI. In syllogismorum confectione accurate observandum est: ut una ex præmissis contineat conclusionem, altera ostendat conclusionem in illa contineri.

LII. Hac unica, facillima, et generali regula explorare possumus an syllogismus recte procedat, vel non, quin opus sit tot Peripateticorum difficiles regulas memoriæ mandare.

LIII. Syllogismus quatuor habet figuras, modos autem quatuor, et sexaginta opinione aliquorum Scholasticorum; unde viginti tantum si alios Scholasticos audias: sed hos omnes tamquam operosos, implicitos, in praxi parum aut nil utiles rejicimus.

LIV. Ars syllogistica veluti divinum inventum ad veritatem inveniendam, et commodissimum instrumentum, ut veritas inventa aliis manifestetur, communiter prædicatur. Verum bona pace eorum qui ita opinantur eis utroque pollice subscribo, qui artem syllogisticam, nec ad inveniendum verum factam, nec ad inventi demonstrationem satis commodam, jure, meritoque pronuntiant.

DE INTELLECTU SUAS OPERATIONES DISPONENTE.

LV. PRactica operationum mentis directio, ac institutio methodus á Philosophis appellari consuevit.

LVI. Duplex distinguitur methodus, quarum una veritati inveniendæ inservit, et vocatur methodus analytica, seu resolutionis, altera vero ad veritatem inventam docendam conducit, et methodus synthetica, seu compositionis nuncupatur.

LVII. Methodi analyticæ subsidio veritas quatuor ex fontibus hauriri potest: ex intima conscientia, et sensuum externorum experimentis, ex mentis ratiocinio, ex auctoritate.

LVIII. Amorem, voluptatem, aliaque nobis intima, et quæcumque homini intrinseca sunt, per solam conscientiam possumus stabilire.

LIX. Cum res extra nos positas, et sensibus subjectas cognoscere velimus, externis sensibus utemur.

LX. Ut autem cognitio á sensibus petita vim habeat, hæ leges animadvertendæ sunt. Organa sensoria nullo vitio, vel morbo laborent. 2. Medium inter organum, et objectum, recte se habeat: nempe ubi de visione agatur sit lucidum, ac limpidum. 3. Objectorum distantia sit justa respectu oculorum, ac aurium, nulla autem respectu tactus. 4. Ubi vel objectorum distantia nimia sit, vel eorumdem nimia exiguitas, instrumenta adhibeantur, quæ suppeditat Drioptica. 5. In rerum examine si fieri potest plures sensus adhibeantur. 6. Si plures sensus testes appellare non liceat, res sensu illó quo hauriuntur, multoties exploretur. 7. Mens sit sana, ac multa attentione rem contempletur.

LXI. Si res extra nos positæ sensibus minime subjiciantur, ad veritatem inveniendam, utemur mentis ratiocinio, in quo hæ regulæ servandæ sunt. 1. Res composita in varios modos, variaque attributa analytice re-

resolvatur. 2. Resoluta attributa examinentur, ac cum aliis comparentur. 3. Inveniantur principia, ex quibus veritas quæsita quoquo modo pendeat. 4. Inventa principia rite disponantur, ita ut clare unum ex alio sequatur. 5. Ex inventis principiis conclusiones deducantur, in quo tota ratiocinandi facultas sita est.

LXII. Inter ea, quae extra nos posita sunt, quaedam captum nostrum omnino excedunt, quia remotissimis locis atque temporibus contigerunt, hac humana auctoritate sunt dijudicandae.

LXIII. Ex humana auctoritate veritatem elicere possumus, si nobis constiterit, tum historicum deceptum non fuisse, tum ipsum vera dicere voluisse.

LXIV. Quod historicus deceptus non fuerit inde colligere licet. 1. Si narrat, quae praesens vidit, et suis sensibus subjecta sunt. 2. Si ea referat, quae á suis popularibus quos inter versatus est, visa, audita, et percepta sunt. 3. Si ea, quae narrat sui vestigia posteris animadvertenda reliquerit. 4. Si ea, quae tradat in publico hominum conspectu gesta sunt. 5. Si ex publicis annalibus, quae refert exscripserit.

LXV. Historicum decipere noluisse satis constat. 1. Cum ea narrat, in quibus si mentitus esset publicas querelas, et contumelias in se excepisset. 2. Cum neque sua, neque suorum interest in aliqua re mentiri. 3. Cum ea refert, quae sui suorumque popularium decus offendunt. 4. Cum ea, quae scribit, non abhorrent á suae aetatis, et patriae moribus. 5. Cum loco, aut tempori quo res evenisse narratur, apte respondeat. 6. Cum non dissentit ab aliis historicis, qui per eamdem aetatem floruerunt.

LXVI. Si quis rem antiquitus gestam narraverit, de qua omnes omnino scriptores coevi sileant; falsitatis convinci potest argumento negativo ex coevorum silentio desumpto.

LXVII. Ut autem argumentum negativum vim habeat hac quatuor serventur regulae. 1. Omnes prorsus coevi scriptores sileant. 2. Demonstretur eos factum illud non debuisse ignorare, si accidisset. 3. Nulla possit proferri ratio, cur siluerint, praeter facti ignorantiam. 4. Siluerint, cum ex officio, et libri scopo debuissent factum illud narrare.

LXVIII. Ejus etiam fidem suspectam habere possumus, qui magnifica refert de se ipso, amicis, et patria: contra certissima haberi debent, quae in adversariorum laudem affert.

DE ARTE CRITICA.

LXIX. Cum ars typographica, non nisi medio XV saeculo Europae fuerit nota, fit consequens, libros omnes veteres manu descriptos fuisse: ex quo innumera menda in eos irrepere debuisse perspicuum est. Qui mendorum caussas collegerunt, eas ad quatuor clases revocant, Librarios, Criticos, Deceptores, Vetustatem.

LXX. Cum scribae imperiti in libros vel antiquo modo, vel male descriptos inciderint, fieri non potuit quin sententias depravate con-

junxerint, vel interciderint: Eosque perperam corruptos ad nos miserint.

LXXI. Haec cum adverterent Critici in id incubuerunt, ut libros quam diligentissime emendarent: cum autem non omnia intellexerint, plurima ex ingenio emendarunt, id est depravatiora ediderunt: adeoque inter ipsas Medicorum manus aegrotavit Critica ars.

LXXII. Deceptores plurima dedita opera in scriptis veterum novarunt, addiderunt, mutarunt: nec id modo in Ethnicorum libris, sed etiam in Ecclesiasticis monumentis.

LXXIII. Praeterea tempus, rerum omnium edax, litteras ex inscriptionibus, lapidibus, et multo magis ex membranis, ac caeteris codicibus delevit. Adeoque plurimae lacunae extiterunt, quas nulla arte aliquando implere possumus. Id Aristotelis libris evenisse norunt omnes.

LXXIV. Verum tamen haud difficulter haec omnia distinguemus, si regulas quasdam prae oculis semper habuerimus: hae sunt hujusmodi.

LXXV. 1. Suppositítii libri indicium est, si in veteribus codicibus alii tribuatur auctori. Interpolati vero, si in veteribus codicibus aliquid deest, quod in recentioribus reperitur. Mutilati, si aliquid deest, quod in antiquioribus codicibus extabat.

LXXVI. 2. Si quae á veteribus hominibus ex libro quopiam olim prolata sunt, ea nunc in libro, eadem inscriptione insignito, desiderantur, aut alius est, aut mutilus. Sin aliter legantur, suspectus sit oportet. si omnia inveniantur sine mutatione, germanus est: nisi aliae sint in contrariam partem suspicandi rationes.

LXXVII. 3. Si stilus dati operis satis discrepet á noto alicujus scriptoris stilo, opus illud ejus non est; etsi nomen ejus praeseferat.

LXXVIII. 4. Si liber veteris alicujus nomen praeseferat, et in eo occurrant voces sequiori aevo inventae, et vetustioribus incognitae, liber aut supposititius est, aut alicujus recentioris, aut est interpollatus.

LXXIX. 5. Hoc vitio laborare etiam videtur liber adeo rudis, et ineptus, totque erroribus interspersus, ut indignus videatur qui docto eruditoque scriptori, de cujus doctrina liquido constat, tribuatur.

LXXX. 6. Alterum suppositionis indicium est, si liber ille dogmata contineat, opinionesve quae ab opinionibus, et domagtibus illis abhorrent, quae scriptor in suis aliis certisque libris expresserat: nisi aliunde constet eum sententiam retractasse.

LXXXI. Caeteros persequi Canones nimis longun foret. Venimus ad methodum syntheticam, qua voce, vel scriptis veritas inventa aliis explicatur.

LXXXII. Id autem præstabimus sequentibus regulis innixi. 1. Omnia obscura vocabula, quibus utendum est, in primis clare explicentur.

LXXXIII. 2. Statutis diffinitionibus sequantur axiomata, é quibus demonstranda veritas pendet. 3. Instituatur subjecti propositi divisio, ut singulæ partes separatim explicentur. 4. De iis, quæ ex diffinitionibus, et axiomatibus præstabilitis necessaria illatione consequuntur

scien-

scientiam nos habere fatebimur: de reliquis ab axiomatibus non dependentibus necessario, tamtummodo opinionem.

DE METHODO STUDENDI, ET DISPUTANDI MULTA SI velis in palestra.

LXXXIV. ALiquæ extant veritates solo rationis lumine certissimæ, atque evidentissimæ adeoque á Philosophia exterminandus est rigorosus scepticismus.

DE METAPHISICA.

LXXXV. MEtaphisica sapientia, vel scientia est, quæ de ente generatim, et substantiis spiritualibus lumine naturali notis pertractat ex priore capite Ontologia dicitur, ex altero Pneumatologia: hæc posterior pars, cum de Deo agit Theologia naturalis, cum autem de anima Psicologia nuncupatur.

DE ONTOLOGIA.

LXXXVI. ENS vox simplex est, ac primigenia, quae per alias voces vix diffiniri potest, idem valet ac quod est.

LXXXVII. Entis proprietatum, essentiae item, existentiae, subsistentiae, causarumque notiones libenter dabimus.

LXXXVIII. Generalia quaedam cognitionis principia suppeditat Ontologia. Primum, in quod caetera quaecumque resolvuntur est principium dictum contradictionis: nempe imposibile est idem simul esse, et non esse.

LXXXIX. Huic, cum Leybnitio adjungimus, aliud pro rerum contingentium existentiam comprobandam: nempe nihil est sine ratione sufficienti cur potius sit quam non sit.

XC. Adest nobis veritatis criterium, nota scilicet seu caracter, cujus ope vera á falsis, certa á dubiis internoscimus.

XCI. Criterium veritatis in evidentia situm est. Evidentia autem pro diversa cognoscendae veritatis ratione triplex est. Metaphysica, Physica, et Moralis tam physicae, quam morali evidentiae praestat evidentia metaphysica qua aliae duae fulciuntur.

DE PSYCHOLOGIA.

XCII. ANima est id quod in unoquoque nostrum cogitat, sui, suarumque cogitationum conscium est.

XCIII. Multum á veritate abhorret Leybnitii, et Wolphii opinio, qui demonstrare tentarunt omnes animas rationales initio temporis á Deo fuisse conditas, et organicis corpusculis inclusas, quae simul cum corporum machinulis in uteros matrum transeant.

XCIV. Adversus veteres recentesque impios, homines perditissimos esto inconcussum dogma: Mens humana spiritualis est, á materia penitus distincta atque diversa.

Im-

XCV. Immortalis quoque Mens est, ut nec perire viribus naturae possit, nec Deus velit eam in nihilum redigere.

XCVI. Mentis humanae essentia Metaphysica in sensu sui ipsius collocanda videtur.

XCVII. Mens quandiu vivit, quamvis sit saepe sine perceptione, judicio, et ratiocinatione, nunquam tamen est sine sensu quopiam sui ipsius; ac proinde sine cogitatione, etiam in arctissimo somno.

XCVIII. Essentia physica mentis in proprietatum suarum collectione statuenda est.

XCIX. Praecipuae hypotheses ad explicandum corporis, et animae comercium excogitatae sunt Peripatetica, Malebranchiana, Leybnitiana. 1. De influxu physico videtur incerta, et mentis naturae repugnans.

C. 2. Quae est caussarum occasionalium intimo cujusque sensui repugnat, et absurda inducere videtur.

CI. 3. Quae harmonia praestabilita dicitur gravioribus laborat incommodis.

CII. Itaque probabilius nobis videtur vinculum, quo Mens cum corpore consociatur, tum potissimum sensum esse, tum etiam appetitum, quo illa ad corpus tendit.

DE SENSATIONIBUS.

CIII. SENSUS, quae potissima est mentis proprietas, duas veluti partes separabimus: prout duos quos respicit terminos distinguimus: intimum quo se ipsam suasque interiores actiones, et passiones sentit: extimum vero, quo et corpus, cui copulatur, et rerum externarum ad sensuum organa appulsus persentiscit, earumque cognitione assequitur.

CIV. Sensus exterioris quilibet actus, sive sensatio quaelibet extima duo complectitur, et mentis attentionem, et motum in corpore exitum.

CV. Sensationum extimarum instrumenta sunt nervi. Num tensione sua sensationi excitandae inserviant: an vero liquidum aliquod per eosdem fluens sit caussa sensus? non liquet. Posteriori sententiae adhaerendum esse plura momenta suadent.

CVI. Ut mens res externas sentiat haec duo simul ex parte corporis concurrant necessum est, tum ut fluidum nerveum ob rerum externarum appulsum motum concipiat: tum vero ut hujusmodi motus ad cerebrum usque deferatur.

CVII. Licet humana mens cum toto corpore societatem habeat, ita quidem ut toti corpori conjuncta esse vere dicatur; aliqua tamen caeterarum dignissima pars corporis est, quam propriam veluti sedem incolit.

CVIII. Hujusmodi sedem in cerebri regione versari jam fere omnium sententia est. Verum quaenam potissimum cerebri pars vocari deveat animae sedes, disputant adhuc Phisiologi. Corpus callosum, seu medullam cerebri esse unicam animae sedem cum communi sententia defendimus.

DE ANIMAE FACULTATIBUS.

CIX. MENS non videt in Deo ideas, quae creatas res in illo representant: ut docuit Malebranchius.

CX. Neque eas habet innatas, vel sibi impraessas a primo Creationis instanti: ut Cartesio placuit.

CXI. Epicureorum opinio statuens ideas á corporibus avolare, est prorsus rejicienda.

CXII. Mens insita vi rerum ideas procudit.

CXIII. Universas ideas é sensu tum intimo, tum extimo reflexionis opera mens cudit.

CXIV. Voluntas innato pondere fertur in bonum.

CXV. Voluntas summum bonum clare cognitum nequit non amare.

CXVI. Voluntas ex natura sua malum aversatur.

CXVII. Voluntas nihil appetit nisi quatenus bonum ipsi apparet, nilque aversatur, nisi quatenus malum ipsi videtur.

CXVIII. Voluntas sine motivis non flectitur ad aliquid volendum vel nolendum.

CXIX. Voluntas humana libertate gaudet, tum ab interna, tum ab externa necessitate.

CXX. Inest menti facultas denuo cogitandi jam alias cogitatas, cum animadvertentia veteris cogitationis quae memoria dicitur.

CXXI. Physicam memoriae caussam ex fibrillarum cerebri flexibilitate reppetunt omnes ferme Philosophi.

CXXII. Nobis probabilius videtur mentem propria vi non é corporis societate suarum cogitationum memoriam habere.

DE THEOLOGIA NATURALI.

CXXIII. INFENSISSIMI Divinitatis hostes, qui Gigantum more bellum Deo inferre ausi sunt, diversas iniere vias. Qui supremum auctorem naturae non agnoscit, *Atheus* dicitur: qui Deum existere quidem concedit, sed ejus providentiam denegat nullamque Religionem nisi naturalem profitetur *Deista*, sive Theista, vel etiam *Naturalista* appellatur; qui plures Deos collit Politheus nuncupatur: qui Deum ab universo minime distinguunt, Pantheystae vocitantur: qui in quavis religione homines salvari posse propugnant, Indiferentistiae dicuntur: á quibus denique non multum discrepat Politichismus, qui et Machiabellismus audit, in quo Religionem nulla alia de caussa tenendam esse decernitur, nisi quod reipublicae utilitatem adferat, adeoque ipsa prout publica res exegerit utendum esse. Quaecumque de Deo impii isti homines fabricati sunt systemata unica thesi confutemus.

CONCLUSIO PRINCEPS.

CXXIV. ATHEISMUS, Polytheismus, Pantheismus, Deismus, Indifferentismus, et Politichismus, cum recta ratione pugnant.

DE PHYSICA GENERALI.

CXXV. PHYSICA ea est Philosophiae pars, quae rerum corporumque omnium in hoc universo existentium naturam, ac proprietates expendit.

CXXVI. Hoc physicae munus á quatuor legibus potissimum dependet: tres primas assignabimus ex Newtono, quartam ex Leybnitio.

CXXVII. 1. Caussae rerum naturalium non plures admitti debent, quam quae et verae sint, et phaenomenis explicandis sufficiant. 2. Effectuum naturalium ejusdem generis eaedem sunt caussae: modo ratio nulla in contrarium sit quae plures diversas caussas exposcat. 3. Qualitates corporum, quae sine incremento, vel decremento observantur in omnibus corporibus, in quibus experimenta instituere licet, pro universalibus admitti debent. 4. Quidquid existit cognoscit rationem sufficientem suae existentiae: et cur ita potius, quam aliter existat.

DE CORPORE GENERATIM SUMPTO.

CXXVIII. CORPORA existere non tantum divina revelatione constat ut Idealistae contendunt; sed etiam evidentia sensuum est manifestum.

CXXIX. Corporis physici essentia constituenda non est cum Cartesio in actuali extensione, sive trina dimensione.

CXXX. Neque cum Gassendo, et Athomistarum schola in soliditate, sive impenetrabilitate actuali.

CXXXI. Neque etiam in partium pluralitate, sive divisibilitate ut quamplurimis scolasticis placuit. Erit ergo collocanda in exigentia impenetrabilitatis cum aliis scholasticis? Minime gentium. Nam vera physici corporis essentia est omnino ignota.

DE CORPORIS NATURALIS PRINCIPIIS.

CXXXII. QUODLIBET Corpus duobus componi debet principiis, materia scilicet, et forma. In hoc mira est physicorum consensio.

CXXXIII. Tria annorum millia sunt, cum de materiae, et formae natura investiganda anxie laborant physici, et adhuc sub judice lis est. Rationi tamen et experientiae nobis videtur consentanea eorum sententia, qui naturalium compositorum materiam in particulis extensis, solidis, exilissimis, et naturaliter insecabilibus collocant: formam vero in varia tamtummodo particularum combinatione, et textura reponunt.

CXXXIV. Formae substantiales peripateticorum sunt omnino á rerum natura proscribendae.

CXXXV. Pari modo sunt rejiciendae qualitates absolutae scolasticorum, sive absoluta accidentia é substantiis separabilia.

CXXXVI. Sententia negans accidentia entitativa in sensu Peripatetico,

co, optime congruit cum eis, quae in sacris conciliis sunt stabilita circa venerabile Eucharistiae Sacramentum, et cum decreto concilii Constantiensis, in quo damnatur 2. Wiclephi propositio.

DE CORPORUM POROSITATE, ET DE QUANTITATE materiae.

CXXXVII. OMne corpus sensibile ingenti pororum numero interrumpitur.

CXXXVIII. Hinc ratio patet, cur corpora quaedam invicem commixta minus occupent spatium, quam antea separatim.

CXXXIX. Quantitatem materiae in uno corpore existentis nullus potest definire, adeoque pondus corporum absolutum prorsus ignoratur.

CXL. Ex diversa pororum quantitate pendent corporum densitas, ac raritas.

CXLI. De extensione penetrabili, spatio, loco, et vacuo. Admitti in mundo debet penetrabilis extensio, in qua corpora recipiantur.

CXLII. Extensio, in qua corpora recipiuntur, id est spatium, est interminatum, impartibile, immobile, aeternum, et improductum.

CXLIII. Locus est illa spatii pars, quae á corporibus occupatur.

CXLIV. Falluntur Scholastici, et Cartesiani, cum pro loco assignant superficiem corporis continentis.

CXLV. Spatium est quid á Deo, ejusque immensitate plane diversum.

CXLVI. Spatium omnino vacuum non est impossibile, immo admitti debet vacuum disseminatum.

CXLVII. Irridendi sunt Scholastici, qui naturam vacuum abhorrere propugnarunt.

CXLVIII. Quae metu vacui accidere dicuntur phaenomena gravitatis aeris effectus sunt.

DE MATERIAE DIVISSIBILITATE, INERTIA, ET Attractione.

CXLIX. QUamvis materia possit natura, vel arte dividi in partes mirae subtilitatis, non est tamen in infinitas partes divissibilis.

CL. Corpora omnia insitam habent inertiae vim qua suum movendi, vel quiescendi statum conservare nituntur, atque resistunt viribus, quae illius statum mutare pertentant.

CLI. Isthaec vis est corporum massis directe proportionalis.

CLII. Newtoniana attractio statui nequit veluti universalissima naturae lex, sive communis materiae proprietas.

DE MOTU.

CLIII. MOtus est transitus de loco in locum, sive continua loci mutatio.

CLIV. Motum in natura existere nisi demens scepticus, aut cavillator sophista nemo negaverit.

Mo-

CLV. Motum peragi secundum quasdam leges á supremo opifice stabilitas, res certa videtur.

CLVI. Hujusmodi leges tres assignamus ex Newtono. 1. Omne corpus perseverat in suo statu quiescendi, vel movendi uniformiter in directum, nisi á caussa externa statum suum mutare cogatur. 2. Mutatio motus est vis á qua pendet proportionalis: fitque secundum rectam lineam, qua vis illa imprimitur. 3. Actioni aequalis est et contraria reactio.

CLVII. Caussa continuitatis motus in corporibus projectis, quam Scholastici dixerunt esse aerem, á tergo mobilis se dilatantem, ipsumque antrorsum propellentem, est ipsorum corporum inertia.

DE GRAVITATE.

CLVIII. Gravitatem dicimus vim illam, qua corpora libere sibi relicta deorsum tendunt.

CLIX. Ejus caussa á vortice Cartesiano reppeti nequit, neque ab ullo impellente fluido, quod easdem proprietates habeat: multoque minus á commentitiis Gassendistarum hamis corpora abripientibus.

CLX. Peripatetici ajentes corpora gravitare, quia habent internam gravitandi vim, explicant idem per idem.

CLXI. Newtoniana attractio nequaquam assignari potest veluti gravitatis caussa.

CLXII. Vera gravitatis caussa ignota adhuc est, nisi dicere velimus cum aliquibus Philosophis eam esse ab immediata operatione Dei.

DE CORPORUM FIRMITATE, DURITIE, MOLLITIE, elasticitate et fluiditate.

CLXIII. Corporum *firmitas* aliis nominibus cohaerentia, vel consistentia, ea est vis, qua resistunt corpora, ne eorum partes qualibet vi divellantur.

CLXIV. Corpus dicitur perfecte durum, quod quocumque percussum ictu figuram non mutat: dicitur autem imperfecte durum, quod licet aliquibus ictibus resistat, fortioribus tamen cedit.

CLXV. Corpus molle illud est, quod percussum mutat figuram quin defringatur, eamque amplius recupereret.

CLXVI. Ex variis firmitatis gradibus oriuntur corporum durities, mollities, et elasticitas.

CLXVII. De caussa cohaerentiae corporum, inter Philosophos non convenit: Epicurei ex figura elementorum, quae sint hamata, uncinata, dentata, atque invicem implexa corporum firmitatem derivarunt: hanc sententiam amplectimur.

CLXVIII. Fluidi natura in exiguarum particularum laevitate, minimo contactu, vel actuali dissociatione est reponenda.

CLXIX. Particulae fluida constituentes seorsim inspectae sunt durae.

CLXX. Ubi partes firmorum corporum arte, vel natura usque ad exilitatem attenuentur, simulque laevigentur, firmum in fluidum convertetur.

PAPELES

VARIOS